

ne Adversarii in agente creato intermissionem aliquam activitatis veluti deficientis, seu defatigatae objicerent: ergo &c.

Addere quod ut experientia constat ad libitum velociter aut tarde progredimur, manum tollimus, vertimus caput, statim emittimus, &c. Et simul advertimus eos motus quantumvis tardos non à morulis interceptis, sed tantum à minori animæ moventis conatu provenire; anima enim ad eos motus indefinenter se applicat. Quia verò movere & moveri duo sunt, quæ simul perficiuntur, hinc fit non posse animam indefinenter manum tollere, quin hæc indefinenter tollatur, ideoque sine morulis interpositis; & de aliis idem dicendum: ergo in istis moribus ad libitum tardis nulla occurrunt morula; quas proinde etiam constat ab omni motu tardo posse rejici, ut proposui in assertionione, quæ adhuc magis constabit ex solutione sequentium objectionum.

Objiciens *primò*, Præter motum velocissimum nullus est, qui non admittat morulas: ergo &c. Probatur antecedens. Ille motus admittit morulas, cujus successio non est continua perinde ac illa temporis: acqui nullus motus, præter velocissimum, successio est continua perinde ac illa temporis: ergo &c. Major constat; quia si partes motus non fluunt, eo tenore, quo partes temporis evidens erit motum interrumpi; quatenus assignabile erit, instans temporis, quo fluente motus non fluat, id est, quo durante mobile non movebitur, sed quiescet. Minor verò probatur; quia posita successione aequè continuâ hinc motus, hinc temporis, mobile novum acquirit locum in singulis instantibus temporis designabilibus; novum autem locum acquirere non potest, nisi sibi proportionatum, id est, neque se majorem, neque minorem. Hinc verò sequitur evidens absurdum; nempe leporem non posse moveri velocius quàm testudinem; testudo quippe singulis instantibus novum acquireret locum sibi æqualem, perinde ac lepus, qui non potest singulis instantibus, nisi novum locum sibi molè æqualem obtinere; neque enim potest duo loca sibi æqualia pro eodem instanti acquirere. Itaque ex toto hoc discursu scitis patet nullius motus, præter velocissimum, successionem esse continuam perinde ac illam temporis; ideoque motum, qui velocissimus non facit, alternis morulis interrumpi, quæ de cætero prout magis minusve frequentes fuerint, majorem aut minorem motus tarditatem efficiunt.

Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem concessâ majori nego minorem, & dico nullas esse in re, quales fingit & insinuat Objiens partes indivisibiles hinc motus, hinc temporis, quæ ad stabiliendam motus successionem perinde ac temporis continuam de-

I X.
Ne que
deest ex-
perientia
spontane-
orum.

X.
Conse-
cuntur
hinc par-
tes motus
hinc par-
tes tem-
poris.

X I.
Sed hu-
jusmodi
partes re-
vera nullæ
sunt.